



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XVIII. Quia est maximæ bonitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

leti. *Habetur hoc in legenda S. Ildes. in officiis Toletanis.* Quam rectè S. Th. de Villanova *serm. de Nativ. Virg.* Omnis Virginum candidatus chorus hujus Virginis laudes concinit, omnes vultum ejus deprecantur & eam veluti Reginam venerantur & colunt: omnibus eam Altissimus præposuit, non solum Virgineis, sed etiam Angelicis choris, quia Mater ejus est, & Matrem decet omnis celsitudo. *Amed. Laujanensis. hom. 3.* Omnes ô Maria superas! præes universis, non solum hominibus, sed & summis coelorum Virtutibus. S. *Dominicus Carthusianus* vidit Sanctos in caelo Mariano se nomini inclinantes. B. *Gertrudis* vidit Sanctos in caelo nomen Mariæ celebriter decantantes. *Eadem lib. 4. insinuat cap. 12. & 46.* vidit in caelis quoties aliqua recitabatur de B. V. puritate cantiuncula seu antiphona; omnes Sanctos assurgentes, & speciali reverentiâ imperialem Virginem, & Dominam suam venerantes, gratias devotas Domino referentes pro omnibus beneficijs B. Virgini Matri, unquam ad universitatis salutem impensis. Potest dici quod illi viginti quatuor seniores quos *Joan. Apoc. 4.* vidit coronas coram throno deponentes, coram Virgine causâ venerationis illas deposuerint. Nam pridem R. *Haccados* nomine Throni Matrem Dei intellexit. Mater Messias futura est Sedes Dei, quam Deus construxit ut in ea sederet Rex Messias ad augendam gloriam Majestatis suæ. Ita apud *Galat. in lib. 7.*

18. Quia est maximæ Bonitatis.

S. *Theod. Neot. orat. de Nativ. Virg.* sic affatur. Ave Maria, Sanctuarium, Fons Divinâ scaturigine fluens, omni sanctimoniâ plena, imò alios replens. *Sophon. serm. de Assumpt.* Verè plena Maria gratiâ, per quam largo Spiritûs S. imbre superfusa est omnis creatura. *Franco Abbas secundus Aligemiensis tom. 7. de gratia Dei.* Laus Mariæ fons est indeficiens, qui quâto largiùs extenditur, tantò amplius impletur, quâto amplius impletur, tantò latiùs dilatatur: jure ergò Mariæ omnis generatio benedicit, per quam omnis generatio benedictionem promeruit: ideo quia gratias in alios diffundit cum quâpiam jurisdictione quam advertit *de Busto.* Boni enim est natura alijs benè velle, & facere, magis verò illud bonum est, quod plus boni, vel de suo, vel si de alieno cum jurisdictione in illud possit facere. Sed jam audiamus quid dicat nominatus Scriptor *Bernardin. de Busto serm. 61. cap. 8. stell. 8.* Non timeo dicere quod in omnium gratiarum affluxu quandam jurisdictionem habeat hæc Virgo, de cujus utero quasi de quodam Divinitatis oceano rivi & flumina emanabant omnium gratiarum. *Bernardus de aqua ductu.* Plenitudinem Fon-

tis.

tis de corde Patris excipiens nobis eundem Fontem edidit, ut aqua Fontis ad nos usque derivarentur. Ut autem specialiter esset Filius ejus, die Purificationis eum à Deo Patre pare columbarum emit, & simul sine Patre ipsius, Mater ipsa fuit illius, & quia videbat mundum beneficij hujus ingratum fore.

Audiamus quid *utinus lib. 4. cap. 15.* dixerit: Cùm ipsa esset Advocata mundi tantum dolorem spiritus suis infudit visceribus, quantus sufficiebat omnium electorum Genitrici ad excusandam ingratitude mundi, quia sic durâ morte de sui fabrica suum expellebat Authorem, qui ad ipsos emendos de faucibus mortis de sinu Patris advenerat servilem assumendo naturam, undè ipsa pro se, & pro toto mundo dignum Deo morienti, & de se genito exhibebat lamentum. Jam verò quia major non potest esse charitas quàm ponere vitam pro alio, audiamus hic *Rich. à S. Laur. lib. 2. pag. 2.* Animam pro salute mundi, Mater etsi non posuit, pro mundo animam exposuit tamen, & quod potuit, fecit, nec ipsa defuit martyrio corporali, sed ipsi defuit martyrium corporale: & hoc martyrium & oblatio ad illud statim ab infantia Christi coepit. *B. Andr. Eremita in m: s: citatus à Novarino lib. 4. elect. num. 488.* illam alloquitur. Tu Filium morti concedens genus humanum servasti, & quidem longè excellentiori modo quàm Abraham: ille enim filium habuit mortis debitorem, hæc ut *Psal. 87.* ait, inter mortuos liberum: ac ut est facilius cedere bonis tandem aliquando amittendis, quàm perennibus: ita facilis fuit immolare Abraham quàm Virgini. *Bona, in 1. dist. 48. q. 2.* Mater per omnia conformis Patri, & Filio, in hoc miro modo debet laudari & amari, quòd adeò compassa est, ut si fieri posset omnia tormenta quæ Christus pertulit ipsa libentius sustinisset, & nihilominus placuit ei quòd Unigenitus ejus pro salute humani generis offerretur. Verè ergo fuit fortis, & pia, dulcis, pariter & severa, sibi parca, & nobis largissima. Merito itaque *S. Ephrem in hunc modum Virginem salutat, de laud. Virg.* Ave primogenitoris Adami Resurrectio, ave mundi Mediatrix gloriosissima, ave Pax & Salus mundi, ave univèrsi orbis terrarum Conciliatrix. *Arnold. Carnotens. tr. de laud. Mariæ.* Omnino tunc una Christi & Mariæ voluntas, unumque holocaustum ambo offerebant pariter Deo, hæc in sanguine cordis, ille in sanguine carnis. *S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 20. parag. 1.* Quod dicitur de Patre eterno Christi, ita & de Matre ejus temporali dici potest illud *Rom. 8. Proprio Filio suo nos peperit, sed pro nobis tradidit illum,* passum voluntate & affectu, quomodo non etiam omnia nobis cum illo donavit pertinentia ad reparationem nostram? *Idem 4. p. tit. 15. cap. 20. parag. 12.* Porta cæli est, quoniam per eam exivit de cælis, quidquid unquam gratiæ creatum venit in mundum. Imitatur Filium qui nos in tantum dilexit, illa in super

insuper Mater Dei non fuisset nisi propter nos. Indè, amas nos, ait *Petrus Dam.* *serm. 1. de Nat. Virg.* amore invincibili, quos in te, & per te, Filius tuus summa dilectione dilexit. Quis scit quoties refrigeras iram Judicis cum iustitiæ virtus à præsentia Deitatis egreditur? in manibus tuis sunt thesauri miserationum DEI. *Bernardin. tom. 3. serm. 6. art. 2. cap. 2.* Virgo per consensum ad Incarnationem Filij, omnium electorum salutem viscerosissimè expetiit, & procuravit, & omnium salutem & salvationem per hunc consensum se singularissimè dedicavit, ita, ut ex tunc omnes in suis visceribus bajularet, tanquam verissima Mater filios suos. *Greg. VII. papa cujus mentio fit in Martyrol. 25. Martij Mechtildi Filie Beatricis Ducisse Thuscie sic scribit:* Hoc proculdubio teneas, quia quanto (B. Virgo) altior & melior, & sanctior omni Matre, tantò clementior & dulcior circa conversos peccatores, & peccatrices: pone itaque finem in voluntate peccandi, & prostrata coram illa ex corde contrito & humiliato lachrymas effunde, invenies illam indubitanter promitto promptiorem carnali matre ac mitiorem in tui dilectionem.

Sed singulare quiddam *S. Ambros. lib. de instit. Virg. cap. 7.* insinuat, ubi describit Virginem sanctissimam generosissimè sub cruce Filij stantem. Pendebat in cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat, ac si simul vellet cum Filio pro nobis mori. Quod expressius *Albert. M. super Missus* explicat. Non tantum Virgo quantum ad actum intentiorem, id est dispositionem, sed etiam quantum ad operis exhibitionem posuit animam suam pro proximis: imò animam Filij sui, & ipsum Filium suum, quem magis quam animam suam dilexit, pro proximo & propriam animam sine necessitate obtulit passioni propriâ voluntate, & eam in passione Filij crucifixit cum Filio; ut plus quam Martyr fieret secundum omnes Doctores: undè & duas animas obtulit pro proximo, & affectum dilectionis ad proximum duplicavit, propter quod *Simeon* dixit: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius:* scilicet doloris *Luc. 2.* Et ut addamus aliquid simplicibus auribus vix credibile: ita proximum dilexit, quòd si defuisset qui Filium crucifixisset, ipsa pro salute generis humani consequenda eum cum manibus suis in cruce posuisset, ut docet *Gerson tr. 2. in Magnif. Legitur & apud S. Antonin. idem text. 4. p. tit. 15. cap. 16. parag. 3.* Ideò puto illam tam generosè sub cruce steterisse nec ab ea recessisse, ut ea pateretur saltem pro nobis amore nostri in corde, quæ patiebatur Filius in corpore. Undè etiam effusus lachrymis sanguinè oculis profudit, teste *Mallonio lib. de Christi signatibus c. 7. n. 13.* Et alibi ex *B. Germano*, quia dolor Virginis juxta *S. Bernardinum serm. 61. art. 3. cap. 3.* tantus fuit, quòd si in omnes creaturas divideretur, omnes subito interirent. *Arnoldus Carnot. tr. de laud. V. Quod difficillimum erat, moriebatur*

batur Virgo, & non poterat mori. Crux illa animæ, & patibulum spiritûs, in qua erat hostia viva, & beneplacens Deo, & medullatum holocaustum, quod cum ipsa incenderet, tantum conscientiæ ministerio utebatur: ipsaque sine strepitu se ipsam mactans in altari interiori & ligna, & flammis, & latices conferebat: nimirum in tabernaculo illo duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi. Christus carnem, Maria immolabat animam; optabat verò ipsa ad sanguinem animæ & carnis suæ addere sanguinem, & elevatis in cruce manibus, celebrare cum Filio sacrificium vespertinum, & cum D. JESU corporali morte, redemptionis nostræ consummare mysterium: hoc ipsum verò cum solius summi Sacerdotis fuerit privilegium, & Virgini mori tunc omninò non licuerit, morte ipsa illi acerbius fuisse opinor. Jam hic ut *Bernardus* monet *super Missus* ò homo securum habes accessum ad DEUM ubi Mater stat ante Filium, & Filius ante Deum, Mater ostendit Filio pectus & ubera, Filius ostendit Patri latus & vulnera; ubi ergò poterit esse repulsa, ubi tot concurrunt amoris insignia. Quæ verba *Austor Pimeij in stellaris lib. 12. p. 2. art. 1.* ubi retulit statim subjicit. Si ergo nulla potest esse repulsa, ergò sequitur quòd servire Mariæ est certissimum signum salutis æternæ consequendæ.

19. Quia est Mater misericordiæ.

Filius miserebatur supra turbam, sed & tu, ait *S. Theophan. Men. 9. Jan. oct. 9.* singulari erga homines miseratione afficeris; experti qui nec invocata auxilium senserunt. Refert *S. Anton. rem ejusmodi 4. p. tit. 15. cap. 32. parag. 2.* Miles quidam divitijs abusus largitiones nimias instituebat, donec eas ad fundum redegerit: aderat dies solemnior, quàm ille solitus prodigalior esse, & ut sequitur nimiam profusionem pudor: ita hic ut ei lenimen inveniret, latebras petijt, ibi suam deploraturus inopiam, ubi nemo arbiter esset: ecce adest comes genius quispiam è perditis, causam orat tristitiæ, & accipit, ac simul solatium impertit, certo loco miles domi foderet, inventurus quæ suo honori suppetere: plura deinde accessura si imperium secutus fuerit, & diem conventioni destinat. Reperit miles defossas opes, & inopiam redimit, & honorem profusionibus: sed urget destinata dies, ut pacta reliqua conficiantur, jubet uxorem comitem viæ esse, ea Matri misericordiarum devotissima fuit, sequitur maritum in quempiam festinantem lacum, fortè erat Divæ Virginis ad viam ædicula, orat conjunx, tantùm moræ largiatur maritus, donec solitum Virgini pensum precum decurrat: annuit: Ingredditur & solito